

6. Quarto, de sacramento Eucharistiæ res est valde dubia, quam in propria materia tractabo.

7. Sed circa alia sacramenta supererat hic declarandum, per quid possit tolli fictio, ut suos effectus habere incipiant; tamen hoc, et alia similia dubia ex doctrina data de baptismo possunt facile expediri. Posset autem hic ulterius dubitari, an in aliquo sacramento veteri habeat locum hæc doctrina, scilicet quod suo modo habuerit effectum, recedente fictione; nam D. Thom. in 4, dist. 4, q. 2, art. 4, q. 4, ad 3, hoc tribuit circumcisioni, dicens: *Sicut in baptismo manet character spiritualis, ratione cujus fictus, deposita fictione, effectum baptismi recipit, ita manebat character exterior in circumcisione, quæ hoc idem faciebat.* Sed nunquam hoc D. Thom. docuit in hac 3 part. Unde valde incertum, et contrarium mihi videtur probabilius, suppositis his, quæ supra diximus de modo, quo in circumcisione, et in sacramento legis naturæ gratia dabatur; est enim multum probabile, adultis nullam tunc fuisse datam gratiam ex opere operato, in hujusmodi sacramentis; nec potuisse facere adultum ex attrito contritum, atque adeo non fuisse simpliciter necessaria media ad remissionem peccati, præsertim in adultis, qui poterant et debebant per contritionem sanctificari; non ergo fuit necessarius hic effectus in his sacramentis, quia infantes non poterant esse ficti; adultis vero et sufficiebat et necessaria erat contritio, quod spectat ad mediæ necessitatem; si autem non est necessitas, non est attribuendus talis effectus illis sacramentis, quia in illis non dabatur gratia præter meritum operantis, nisi veluti ex speciali dispensatione ad subveniendum necessitati infantium.

DISPUTATIO XXIX.

DE EFFECTU BAPTISMI SANGUINIS, ET DISPOSITIONE AD ILLUM NECESSARIA.

Posset disputatio hæc in materiam de fortitudine rejici, quoniam hic baptismus sanguinis nihil aliud est, quam martyrium, quod actus est fortitudinis; tamen, quoniam, ut supra vidimus, non quodlibet martyrium habet rationem baptismi sanguinis, sed illud specialiter, quod supplet vicem baptismi aquæ, ideo consideratio martyrii sub hac ratione baptismatis ad hunc locum spectat. Pendet autem ejus cognitio ex virtute et efficacia,

quam martyrium habet ad dandam gratiam, et deficiente baptismate aquæ et flaminis, de quibus et eorum effectibus jam satis dictum est. Hac igitur de causa proponimus hoc loco disputationem præsentem, quæ plurimum etiam conferet ad perfectam intelligentiam eorum, quæ de necessitate baptismi ad salutem consequendam superius tractata sunt; et, ut clarior sit disputatio, dicemus prius de infantibus, postea de adultis.

SECTIO I.

Utrum per baptismum sanguinis possint infantes salvari absque baptismo aquæ.

4. Infantes hoc loco dicuntur, non tam propter ætatem, quam propter carentiam perpetuam usus rationis, sicut in superioribus explicatum est. Atque hinc oritur ratio dubitandi in quæstione proposita; nam baptismus sanguinis includit, vel supponit essentialem ac propriam rationem martyrii; sed absque usu rationis non potest vera ratio martyrii salvari; ergo in his, qui nunquam ratione uti sunt, non potest baptismus sanguinis reperiri; non ergo poterunt per illum salvari absque baptismo aquæ. Minor principalis argumenti patet, quia martyrium est actus virtutis fortitudinis; absque rationis autem usu nullus actus virtutis inveniri potest. Et augetur difficultas, quia alias baptismus aquæ, neque in re, neque in voto esset infantibus necessarius ad salutem; quod videtur esse contra Christi verba: *Nisi quis renatus fuerit, etc.*, a qua generali regula Scripturæ non licet exceptionem facere absque sufficiente et cogente auctoritate. Sequela patet, quia in hujusmodi infantibus supponitur deesse baptismus aquæ in re susceptus; votum autem in illis esse non potest, quia hoc votum concipitur per proprium actum, seu desiderium, cujus illi sunt incapaces. Nec dici potest, re ipsa per mortem habere hujusmodi votum baptismi aquæ, quatenus et commoriuntur Christo, et suo sanguine tinguntur; hoc enim non satisfacit, tum quia est valde metaphoricum, et in re nulla habitudo ad baptismum aquæ per hæc verba declaratur, sed solum analoga quædam proportio, seu convenientia; tum etiam quia, cum mors efficiat hominem incapax baptismi aquæ, non potest includere votum ejus. Quod vero nullum sit sufficiens fundamentum ad prædictam exceptionem faciendam, constat, quia neque in Scriptura

continetur, neque in Ecclesiæ traditione. Prior pars probatur, quia, si contineretur in Scriptura, maxime in illis verbis Christi Domini: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo*; at verba hæc non de infantibus dicuntur, sed de adultis; infantes enim nesciunt confiteri Christum. Posterior pars probatur, quia si Ecclesiæ auctoritas faveret ad hanc exceptionem faciendam, maxime quia Innocentes pueros colit, ut sanctos; sed hoc non cogit, tum quia possunt illi inter sanctos recenseri, quia erant circumcisi, et mortui sunt absque alio peccato, et Ecclesia voluit eos colere, quamvis fortasse non sint sanctiores aliis, in Christi reverentiam et amorem, ob cujus odium illi sunt ab Herode occisi; tum etiam quia licet gratis demus aliquod privilegium fuisse illis parvulis concessum, non est cur extendatur ad omnes alios infantes, præsertim post baptismum aquæ, cujus necessitas nondum erat eo tempore introducta.

2. In hæc quæstione non defuerunt Catholicis, qui, fortasse propter rationes factas, senserunt, parvulos non posse salvari per baptismum sanguinis; ita videtur docere Alex. Alens., 4 p., quæst. 22, memb. 5, art. 1, ubi dicit, baptismum aquæ extensive excedere in effectu baptismum sanguinis, quia pluribus personis prodesse potest, scilicet parvulis et adultis, cum tamen baptismus sanguinis solum prosit adultis. In hanc sententiam inclinat etiam Armachan., lib. 8 de Quæstionibus Armenorum, c. 37, et Adrianus, 4, quæst. ult. de Bap., ad 3. Qui, licet non omnino rem definire audeant, tamen probabile esse censent, Innocentes martyres nihil gratiæ aut sanctitatis per mortem illam fuisse consecutos; et si fortasse aliqui ex eis non fuerant circumcisi, eos etiam non fuisse salvos, sed in peccato originali decessisse. Soto etiam citat Bonaventuram in eadem sententiam, quod baptismus sanguinis non prosit parvulis. Sed ille nihil de hac re aperte locutus est.

3. *Infantes capaces sunt martyrii.* — Dicendum est ergo primo, infantes esse capaces martyrii, seu baptismi sanguinis. Hæc conclusio est mihi certa, neque existimo posse sine temeritate negari. Eam tradit D. Thom. 2. 2, quæst. 124, art. 1, et Quodlib. 6, art. 4; Richar., in 3, d. 4, art. 2, quæst. 3, ubi licet extendit ad illos infantes, qui in uteris matris simul cum matribus interficiuntur. In eadem sententia sunt Scotus, Gabriel, et alii d. 4; Soto, d. 3, art. 11; et bene Cajet. 2. 2,

loco citato; et D. Bonavent. illa d. 4, p. 2, art. 1, quæst. 2, limitat sententiam Alensis dicentis baptismum aquæ pluribus prodesse, quam sanguinis; unde nihil in hoc distinguit inter parvulos et adultos; et probatur præcipue exemplo sanctorum Innocentium, quos martyres fuisse constat, primo ex traditione et sensu Ecclesiæ celebrantis festum eorum, tanquam vere martyrium, propter quod officium martyrum eis recitandum proponit, eosque martyres appellat, tum in collecta, set oratione: *Deus, cujus hodierna die præconium Innocentes martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt*, tum in hymno: *Salvete flores martyrum, vos prima Christi victima.*

4. Secundo ex Patribus. Cyprian., serm. de Stella et Magis, circa finem: *Tyrannus, inquit, crudelis illuditur, qui dum putat perdere quos occidit, melioris vitæ statum eis procurat*; et infra: *Ecce parvuli isti, quos inaudita crudelitatis monstrum Herodes occidit, subito sunt martyres*; et infra: *Ætas nondum habilis ad pugnam, idonea exstitit ad coronam; ut appareret innocentes esse, qui pro Christo necantur, infantia innocens ob nomen ejus occisa est.* Optime Leo Papa, serm. 4 de Epiph.: *Quos Rex impius eximit mundo, Christus inserit cælo, et quibus nondum sanguinis sui impendit redemptionem, jam martyrii tribuit dignitatem.* Et subdit serm. 2: *Ac si jam diceret: Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum, nova gloria coronabat infantes.* Ut infra: *Ut disceretur, nihil hominem incapax esse divini sacramenti, quando etiam illa ætas gloriæ esset apta martyrii.* Sic etiam Augustin., lib. 3 de Lib. arb., c. 23, de Innocentibus loquens, dicit: *Eos in honorem martyrum receptos veneratur Ecclesia.* Et lib. 2 de Symbolo ad catech., c. 5, et lib. 3, c. 4, dicit, Innocentes martyres testimonium reddidisse innocentiae Christi. Idem, ep. 28 ad Hieron., et serm. 8 de Sanctis, cum sequentibus, qui sunt de Innocentibus. Origenes etiam, homil. 3 in varios locos Evangelii, hujus antiquæ traditionis meminit, et hunc in modum sensum Ecclesiæ interpretatur dicens: *Horum memoria semper, ut dignum est, in Ecclesiis celebratur secundum ordinem integrum sanctorum, ut primorum martyrum pro Domino occisorum, ut ipsa Bethleem, in qua natus est Dominus, primitias martyrum Domino obtulisse videatur.*

5. *Quilibet infantes possunt esse martyres.* — Denique Patres omnes in concionibus,

quas de sanctis Innocentibus scripserunt, omnesque Catholici Scriptores Evangeliorum Matth. 2, testes sunt, illos Innocentes fuisse vere martyres, et hoc nomine ab Ecclesia coli. Tertio, est optima ratio, quia, nisi illi Innocentes fuissent martyres, non potuissent Ecclesia omnes illos sua solemnitate canonizare, et ut vere beatos colere; quid enim si aliqui eorum circumcisi non fuerant? est enim id valde verisimile; nam occisi sunt omnes a bimatu, et infra; ergo etiam illi qui nondum octavum diem ætatis attigerant, quos necesse erat nondum esse circumcisos; at vero Ecclesia omnes generatim sine ulla exceptione colit, quia revera non ob circumcisionem, nec ob gratiam, quam in ea acceperant, sed ob mortem pro Christo susceptam eos veneratur; hæc enim sola causa, et titulus venerationis erat illis omnibus communis. Immerito ergo Adrianus dixit, non satis constare in hac parte de sensu et doctrina Ecclesiæ. Quia neque facto, neque verbo potuit Ecclesia clarius suam mentem aperire, et antiquam traditionem nobis proponere; quare non video, quo modo sine temeritate, et magno errore possit hoc in dubium revocari. Ex hoc autem singulari facto recte colligimus nullum infantem ratione infantie esse martyrii incapacem; sed omnes eos, qui eodem modo pro Christo mortem sustinuerint, vere esse martyres; nam eadem est ratio et causa in cæteris infantibus, quæ fuit in illis Innocentibus. Quia vel in illo facto intercessit spirituale privilegium factum illis pueris, vel non; si non intercessit, ergo non est, cur alii censeantur magis incapaces martyrii, quam illi, cum omnes æque careant usu rationis; si vero intercessit privilegium, hoc certe non est factum personis, sed causæ; quid enim in illis pueris cogitari potest pertinens ad personalem dignitatem, vel conditionem eorum, propter quod hujusmodi privilegium illis concessum sit? Nihil sane. Tota ergo ratio illius privilegii fuit causa mortis; nimirum quod propter Christum occisi sunt. Unde eleganter Cyprianus supra: *Sufficit causa testimonio, licet nondum eloquio distinguantur*. Et Leo Papa: *Ut disceretur, nullum hominem incapacem esse divini sacramenti*. Et eodem modo loquuntur cæteri Patres. Quin etiam Ecclesia eodem modo inter martyres numerat quoslibet pueros vel infantes, qui in lege gratiæ pro christiana religione mortui sunt; ut constat ex omnibus historiis Ecclesiasticis, et ex modo loquendi Sanctorum. Cur

enim privabuntur tunc infantes hujusmodi privilegio et honore? Neque enim gratia Christi minus liberaliter nunc, quam eo tempore communicatur; neque horum mors minus est propter Christum, quam illorum; imo quodammodo videtur expressius ac formalius esse propter Christum; nam, licet omnes interfecti sint in odium Christi, tamen illi priores Innocentes solum mortui sunt inter quærendum Christum; hi vero interficiuntur propter fidem Christi, et ad destruendam et evertendam religionem ejus; est ergo par omnium ratio.

6. *Baptismus sanguinis satis est infantibus ad salutem etiam sine baptismo aquæ.* — Secundo igitur dicendum est, baptismum sanguinis satis esse posse infantibus ad salutem sine baptismo aquæ. Hæc conclusio sequitur ex præcedenti. Primo, quia verum mysterium est sufficiens ad salutem, ut sectione sequenti ostendam; imo in parvulis non potest alia ratione mors eos martyres efficere, honore et cultu dignos, nisi quia efficit sanctos; constat præterea, illam mortem non dici martyrium, quia sit actus virtutis fortitudinis in ipsis infantibus, ut ratio dubitandi in principio posita satis probat; dicitur ergo martyrium, quia ex eo, quod est propter Christum, habet effectum martyrii, qui per se sufficit ad salutem. Præterea Innocentibus ab Herode occisis martyrium illud fuit sufficiens ad salutem sine circumcisione; ergo et nunc erit sine baptismo. Dices, non fuisse tantam necessitatem circumcisionis, quanta est baptismi, quia tunc ante octavum diem poterat aliquod remedium prodesse. Sed contra, quia saltem ab octavo die erat tam necessaria circumcisio; vel saltem aliquod sacramentum legis naturæ erat tam necessarium simpliciter, sicut nunc est baptismus; et tamen quamvis neutrum fuisset applicatum, certissimum est, illam mortem fuisse sufficientem ad salutem, ut constat ex adductis in prima conclusione; ergo non obstante necessitate baptismi similis mors nunc sufficiet, quia institutio baptismi nihil dignitatis, vel efficaciam martyrio abstulit; quin potius probabile est, per Christum utriusque baptismi gratiam fuisse specialiter concessam, vel confirmatam et auctam, ut de baptismo sanguinis dicitur inferius; nam de baptismo aquæ res est omnino certa; nam sicut illius necessitas, ita et efficacia ex Christi institutione et promissione manavit; privilegium autem martyrii, licet semper fundatum fuerit in meritis Christi, tamen non est im-

probabile fuisse antiquius, quam institutionem Christi post incarnationem factam; esto tamen ita sit, non fuit tamen per Christum, aut institutionem baptismi revocatum, sed confirmatum potius, juxta verba Christi: *Qui me confessus fuerit coram hominibus*. Et verisimile est, fuisse etiam auctum; nam ita decet statum, et perfectionem legis gratiæ, in quo uberius et liberalius Christi gratia communicatur.

7. *Ad rationem dubitandi.* — Ad rationem ergo dubitandi in principio positam, respondetur, martyrium posse considerari, ut actum virtutis, et ut sic non habere locum in infantibus; vel solum, ut est actualis mors, quam innocens pro Christo patitur; et ut sic non est de ratione ejus, quod sit actus virtutis; imo nec est necessarium, quod mors sit voluntaria in eo, qui non est capax proprii consensus. Unde dici potest illa mors martyrium, quoad martyrii gloriam et efficaciam, quamvis non, quoad essentiam virtutis. Vel dici etiam potest illa mors objective honesta et studiosa, quamvis formaliter, ut est in eo, qui eam patitur, non sit ex virtute, sicut non est ex voluntate. Ad confirmationem respondetur, non esse simpliciter contra necessitatem baptismi aquæ, privilegium, seu exceptionem, quæ fit etiam de baptismo sanguinis. Primo quidem, quia per se loquendo baptismus aquæ semper debet præcedere, etiamsi statim speretur baptismus sanguinis, et male facerent parentes tutores, vel pastores, qui infantem privarent baptismo aquæ, etiamsi statim esset pro Christo occidendus; hoc autem malum nihil parvulo obsesset, quominus frueretur fructu baptismi, cum non esset positum in voluntate ejus. Deinde, quia hæc exceptio ab eodem Christo est facta, vel confirmata illis verbis: *Qui me confessus fuerit coram hominibus*; nam, ut Patres dicunt, infantes, quamvis non verbis, re et opere Christum confitentur, eique conformantur. Accedit etiam traditio Ecclesiæ a nobis explicata. Unde non est necesse quærere in his infantibus, qui nunc pro Christo occiduntur, votum baptismi aquæ; nam hoc revera proprie nullum est, nisi fortasse per extrinsecam voluntatem et acceptionem Christi; sed non est necessarium, absolute loquendo, hujusmodi votum proprie dictum, quia baptismus sanguinis per se sufficiens est, et non quasi in virtute alterius; votum autem sacramenti tunc dicitur esse necessarium, quando effectus datur in ordine ad tale sacramentum,

quasi supplendo locum et vicem illius, donec ipsum applicetur; hoc autem non ita est in martyrio, sed per se, et ex propria promissione hoc habet privilegium, ut in sequentibus dicemus latius.

SECTIO II.

Utrum baptismus sanguinis sufficere possit adultis ad salutem absque baptismo aquæ.

4. Non inquirimus, an voluntarie possit omitti baptismus aquæ, propterea quod instet, vel statim speretur necessitas sustinendi martyrium; nam certum est, si sit in hominis potestate se præparare per baptismum aquæ, antequam mori pro Christo cogatur, teneri ad id faciendum, non minus, quam in quovis periculo mortis teneretur, quia præceptum baptismi semper obligat, et nihil est, quod in eo casu excuset ab observatione ejus, quia licet martyrium per se sit optimus virtutis actus, et magna habeat privilegia, non tamen tollit aliorum præceptorum obligationem; nec excusat, quin homo uti debeat ordinariis ac necessariis remediis salutis, si facultas adsit; quin potius, quo martyrii certamen difficilius est, eo magis debet homo se ad illud disponere, præsertim per sacramenta ad salutem necessaria; quapropter, qui ea voluntarie negligit, quamdiu in ea voluntate perseverat, non est ad martyrium idoneus, nec fructum ejus recipiet, ut epist. 54, copiose Cyprianus disputat.

2. *In quo locum habeat questio.* — Quæstio ergo proposita solum habet locum in fidei adulto, qui ad martyrium rapitur prius quam re ipsa possit suscipere baptismum aquæ: an illi satis esse possit ad salutem martyrium, tanquam baptismus sanguinis. Et ratio difficultatis est, quia si in infantibus martyrium habet hanc virtutem et efficaciam, cur non in adultis? In contrarium vero est, quia adultus, cum sit capax propriæ rationis et voluntatis, potest se ad gratiam disponere ac præparare per conversionem in Deum et detestationem peccati; et, cum hoc remedium sit per se necessarium ad salutem, tenetur per se illud adhibere per veram contritionem, instante mortis periculo, et præsertim deficiente baptismo aquæ, quam obligationem non tollit martyrium, ut ex dictis colligi potest. Nam doctrina data generalis est. Vel ergo adultus, instante martyrio, in prædicto casu ita se disponit, vel non; si non, incapax est martyrii

et fructus ejus, quia voluntarie perseverat in peccato; si vero se ita disponit, illa dispositio habebit rationem baptismi flaminis, et virtute continebit votum baptismi aquæ; ergo jam ille homo non salvabitur per solum baptismum sanguinis, sed per baptismum flaminis, seu (quod idem est) per baptismum aquæ, non in re, sed in voto.

3. *Quomodo differant infantes ab adultis, quod attinet ad martyrium.* — In hac re supponendum in primis est, hoc differre inter infantes et adultos, quod in illis martyrium non requirit consensum voluntarium ipsius martyris, sed sufficit violenta mors a tyranno propter Christum, seu in odium Christi illata; at vero in adultis de ratione martyrii est voluntarius consensus, ut docent D. Thom. 2. 2, quæst. 124, art. 1 et 2; et Cajetanus ibi, fere in ultimis verbis; et Soto in 4, dist. 15, quæst. 1, art. 1, et lib. 2 de Natura et gratia, cap. 16. Quocirca licet contingat aliquem fidelem in somno a tyranno occidi in odium Christi, si nullam voluntatem prius habuit circa mortem illam, non erit martyr, neque ex illa morte aliquem fructum gratiæ aut remissionem culpæ vel poenæ consequetur. Ratio hujus primum reddi potest ex illo generali principio, quod adultus, quia est capax propriæ voluntatis, sine illius libero consensu non consequitur regulariter gratiam, neque remissionem culpæ; et ideo nulla actio, vel passio exterior illi potest ad salutem prodesse, nisi aliquo modo voluntaria sit; ergo etiam mors extrinsecus illata, nisi sit voluntaria, non habet in illo effectum gratiæ, vel remissionis culpæ; ergo talis mors non est martyrium, quasi ex privilegio, seu quoad effectum, et dignitatem martyrii; sed neque etiam est vere ac proprie martyrium quoad essentialiam, quia de ratione ejus est, ut sit opus virtutis, quod essentialiter a voluntate pendet; ergo nullo modo est martyrium in adulto sine voluntate ejus. Et confirmatur a simili de baptismo aquæ, qui, licet in parvulo non requirat consensum propriæ voluntatis, in adulto tamen non potest esse sine illo; quamvis gratia et privilegium hujus baptismi non manet ex voluntate recipientis, nec pendeat ex merito illius; sed solum ex illo principio, quod salus animæ, et remedia, per quæ efficitur, voluntaria esse debent ei, qui sua voluntate uti potest; ergo idem majori ratione dicendum est de martyrio.

4. *De ratione martyrii est voluntas moriendi pro Christo honesta, et quodammodo*

supernaturalis. — Ex quo ulterius infero, ad veram martyrii rationem, ut Scriptura et Sancti de illo loquuntur, necessarium esse, ut hæc voluntas, qua mors pro Christo acceptatur, sit honesta, imo supernaturalis aliquo modo. Probatur prior pars, quia necesse est, ut procedat ex honesto motivo; nam si fiat propter gloriam vanam, aut famam, vel aliud simile humanum commodum, non meretur illa mors nomen martyrii, ut merito docent omnes Theologi, quia talis mors, neque est actus virtutis, nec fortitudinis, neque est propter Deum, seu Dei amorem aliquo modo, neque propter confessionem Christi, seu fidei ejus, sed propter inanem gloriam. Unde de illo, qui sic moritur, recte dici potest, recepisse mercedem suam. Et in illum optime quadrat, quod Paulus ait: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Denique, si natura et efficacia talis humani motivi consideretur, ex vi illius, seu ad famam et gloriam apud homines obtinendam, non minus erit aliquis paratus ad falsitatem, quam ad veritatem mordicus et usque ad mortem profitendam, si existimet non minus posse una via, quam altera, famam acquirere, quam exoptat; signum ergo est, eum, qui sic moritur, proprie et vere non mori pro fide, aut Christo; non est ergo martyr, nec præbet testimonium veritati fidei.

5. *Ad martyrium requiritur fides.* — Altera vero pars, scilicet, quod oporteat hanc voluntatem esse aliquo modo supernaturalem, et ex motivo supernaturali profectam, probatur ex eisdem principiis, quia alias non pateretur homo, ut christianus, sed ut philosophus; non ergo dici potest mori, aut pati pro Christo, aut pro defensione fidei, vel christianæ religionis, qua tenditur ad supernaturalem beatitudinem. Unde est illud Petri: *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis; quoniam, quod est honoris, et gloriæ, et virtutis Dei, et qui est ejus spiritus, super vos requiescet; nemo autem vestrum patiatur ut homicida; si autem ut christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine.* Unde confirmatur. Nam ad veram rationem martyrii necesse est, ut procedat ex vera fide supernaturali. Unde si contingat, hominem hæreticum circa unam fidei veritatem, mori ob confessionem alterius veritatis fidei, ille non erit martyr, neque ullum effectum martyrii consequetur, ut eleganter tradit Cyprian., epist. 52, 54 et 74 ad Jubaianum; et

Augustin., lib. 4 de Baptis., cap. 11, lib. 3, cap. 19, et lib. 4, cap. 17; et ratio est, quia qui caret fidei fundamento, nullo modo est Christo unitus; non ergo potest mori pro Christo, aut pro ejus fide; nam, licet videatur mori pro aliqua veritate, quæ ad fidem spectat, tamen sicut hæreticus illam non credit ex motivo fidei, sed ex humana aliqua ratione et judicio proprio, ita etiam non moritur pro Christi fide, ut Christi est, sed solum pro suo arbitrio et proprio judicio pertinaciter defendendo. Cujus indicium est, quia eodem modo erit paratus ad moriendum pro quacumque alia re, quam simili modo credit, etiam si contingeret, illam esse catholicæ veritati repugnantem; sicut ergo ex parte intellectus necessaria est fides, ita ex parte voluntatis necessaria est voluntas aliqua ex eadem fide procedens, ut actus ille aliquo modo in Christum, et in supernaturalem finem tendat.

6. *Actualis dilectio Dei super omnia sit de ratione martyrii.* — Potest tamen ulterius dubitari, an sit de ratione martyrii, ut procedat ex actuali charitate, et dilectione Dei super omnia. Aliqui enim Theologi ita sentire videntur, quoniam Paulus ait, 1 ad Corint. 13: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Et D. Thom. 2. 2, quæst. 124, art. 2, ad 2, dicit, martyrium esse actum charitatis, ut imperantis; fortitudinis autem, ut elicientis. Ubi Cajet. sentit, non posse haberi honestam et veram martyrii voluntatem, nisi imperatam ab amore Dei super omnia ex charitate profecto. Sed quamvis demus, hoc charitatis imperium esse perfectissimum, et maxime efficax principium, elevans et confortans hominem ad perseverandum in difficillimo actu martyrii, nihilominus per se loquendo, et considerata arbitrii libertate, divina gratia adjuta, non videtur dubium, quin possit hic actus elici a fortitudine infusa ex proprio motivo absque actuali imperio charitatis; vel ex imperio religionis et intentione divini cultus, quomodo potest quis velle mori, ne cultum soli Deo debitum transferat in idolum; vel ex imperio virtutis obedientiæ, ut si quis velit mori potius, quam divinam legem transgredi; vel ex pia affectione ad fidem, ut contingere potuit in multis martyribus; vel denique ex solo intrinseco motivo fortitudinis, quia intrinsece et per se honestum est constanter tolerare mortem, quando oportet propter majus bonum; quælibet enim ex his rationibus per se sufficiens

est ad movendam voluntatem; quælibet etiam virtus per se sufficiens est ad elicendum suum actum intra proprium objectum; neque una virtus voluntatis essentialiter pendet in suo actu ab imperio alterius, quia, ut ex 1. 2 constat, hæc relatio actus unius virtutis in finem alterius, quamvis ex parte operantis possit esse præcipua et maxime intenta, tamen ipsi actui imperato, seu relato in finem extrinsecum, accidentaliter est. Potest igitur dari voluntas supernaturalis moriendi pro fide, aut religione, absque actuali Dei amore super omnia; mors ergo acceptata illa voluntate habebit veram et essentialem rationem martyrii, quia et est opus virtutis, et est in confessionem Christi, et quasi in maximum testimonium et irrevocabile fidei. Nihil autem aliud videtur Christus postulasse ad veritatem martyrii, cum dixit: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo*, Matt. 40 et 46, et Marc. 8: *Qui perdidit animam suam propter me et Evangelium, salvam faciet eam.* Nec Paulus dixit: *Si tradidero corpus meum sine actuali dilectione, et relatione charitatis, sed sine charitate, quæ sunt valde diversa.* Nam potest quis esse in charitate et amicitia Dei, et non operari ex actuali imperio charitatis. D. Thom. autem non dixit, de essentia martyrii esse, ut imperetur a charitate; sed potius dixit, essentialiter esse actum fortitudinis, qui natura sua est aptus imperari a charitate; et hoc est illi maxime consentaneum propter difficultatem ejus, et propter quandam conjunctionem, quam habet cum Deo, ac divinis rebus; et ideo vocavit illum actum imperatum a charitate, seu imperabilem natura sua. Unde idem D. Thom., Quodlibet. 4, art. 19, fatetur, posse reperiri martyrium sine imperio charitatis. Sed quanquam hoc verum sit de martyrio sub essentiali ratione martyrii considerato, difficultas vero superest, an hujusmodi martyrium, secluso merito, seu dispositione charitatis, vi sua, seu speciali privilegio, sufficiat ad supplendam vicem baptismi aquæ.

7. *Principalis totius quæstionis hujus status in quo consistat.* — *Opinio negans.* — In hac re videtur esse antiquorum Theologorum opinio, negans martyrium per se habere hanc efficaciam. Ita sentit Alex. Alens., 4 part., quæst. 22, memb. 5, ubi aperte negat posse martyrium dare adulto primam gratiam; qui sane consequenter loquitur, cum ibidem neget, posse martyrium habere effectum gratiæ in infantibus; tamen, sicut in hoc posteriori